

CAPUT V.

DE CONSCIENTIA LAXA.

61. Conscientia proprie dicta, seu antecedens, est *laxa* quando quis saepe ob levius motivum iudicat licere quod illicitum est vel leve peccatum esse quod reapse est grave. Similiter conscientia consequens laxa esse potest, si quis habitualiter iudicat, sine sufficienti ratione, nullum vel leve tantum peccatum a se admissum esse. Generatim utroque modo simul conscientia laxa erit.

Distingui solet conscientia laxa triplex :

1^a *Simpliciter talis*, quae praesertim oritur ex ignorantia voluntaria vel involuntaria.

2^a *Cauteriatata* seu habitualiter laxa in re gravi. Desumitur nomen ex 1 Cor. IV, 2. " In hypocrisi loquentium mendacium et cauteriatam habentium suam conscientiam, „ Vox derivatur a verbo cauteriare (καυτήριον), ferro candente adurere et ita sensum adimere.

3^a *Pharisaica*, quae, in sensu stricto, designat eos qui, Phariseos imitati, gravissima Dei mandata parvi faciunt, magni autem reputant externas quasdam levisque momenti observantias. (Matth. XXIII, 23 seqq.) In sensu lato designat conscientiam quae pluris facit opera quaedam supererogatoria quam officia status.

62. Nulla nova principia de conscientia laxa danda sunt. Haec enim est status quidam et inclinatio habitualis, non autem dictamen rationis actuale a quo solo immediate et directe pendet actuum moralitas. Applicanda hic sunt quae supra statuta sunt de ignorantia voluntaria et de conscientia dubia. Manifestum est periculum talis conscientiae in rebus gravis momenti. Nam hac perversa dispositione, quam inducere solet consuetudo peccandi et remorsum contemnendi, homo impellitur ad agendum saepe cum confusa cognitione gravitatis peccati; postea autem facile id sibi indulget parumque aut nihil a se commissum iudicat. Neque tales homines a gravi peccato excusantur: quippe qui plerumque actionis suae malitiam suspicentur, vel saltem in habituali voluntate mala sese obfirmant. Exemplo sunt plurimi qui sibi fucum faciunt ratiunculis quibusdam, ex. gr. " Persuadere mihi non possum Deum tam bonum me aeternis suppliciis addicturum esse eo quod carnes die Veneris comederim vel Sacrum die Dominica omiserim. „

CAPUT VI.

DE PROBABILISMO.

§ 1. NOTIONES ET DIVISIONES.

63. Quae de probabilismo dicenda sunt, proprie ad statum conscientiae dubiae referuntur. Praebet enim probabilismus medium quo, manente dubio speculativo, evacuetur dubium practicum et formetur conscientia practice certa, quae sola est tuta morum regula. Cfr. dicta n. 51 seqq. Cum hoc argumentum summi sit momenti in re morali, paulo fusius de eo dicemus.

64. **NOTIONES.** Opinio probabilis ea est quae nititur motivo tum absolute, tum relative gravi, manente tamen prudenti formidine oppositi.

Motivum dicitur *absolute grave*, quando rem verisimilem efficit et virum prudentem ad assentiendum movere potest. Prudens autem intelligitur quicumque aptus est ad iudicium ferendum de rebus practicis, tum ex ingenii proprii acie, tum quia liber est a variis recti iudicii impedimentis, qualia sunt praeiudicia, studium partium, etc. Idem motivum erit insuper *relative grave*, si hanc vim suam movendi ad assensum servat, etiam inspectis rationibus quae in contrariam partem afferantur. Oportet ergo ut nulla ratio convincens assensum in partem oppositam trahat. Sic rationes quae in se inspectae videantur aptae ad prudentem assensum obtinendum, vim suam omnem amittunt ex quo innotescit eam cui favent sententiam ab Ecclesia reprobata esse. Attamen necessarium est ut maneat prudens formido oppositi, seu ut appareat motivum sufficienter favens parti oppositae ut etiam huic adhaereri prudenter possit. Si enim pro parte opposita nulla vel levis ratio apparet, jam habebimus certitudinem, vel strictam, vel, quae in materiis moralibus practice aequivalebit, late sumptam.

65. **DIVISIO.** Probabilitas dividitur :

1^o **Ratione fundamenti quo nititur** in *intrinsicam* et *extrinsecam*. Intrinsicam est cum nititur motivis quae ex ipsa re, in se vel in circumstantiis suis inspecta, desumuntur: extrinsecam, cum nititur auctoritate eorum qui hanc sententiam tenent.

Regulariter, extrinsecam supponit intrinsicam, quia vir prudens nihil sine gravi ratione docere solet: unde mediate etiam nititur rationibus

eorum quorum auctoritas ad assensum movet. Si quis vero has rationes ipse ad trutinam revocavit, jam probabilitate tum intrinseca, tum extrinseca ducitur.

2° **Ratione modi quo argumentum spectatur**, in *speculativam* et *practicam*. Semper hic agitur de argumento quod ad praxim pertineat, non autem de doctrina mere speculativa. Sed argumentum, etiam practicum, spectari potest vel abstracte et in se, non attentis illis circumstantiis quae ei communiter adjunctae sunt, vel cum omnibus circumstantiis quae illud in concreto et secundum hominum naturam, prout communiter se habet, comitantur. In priori casu, iudicium quod de hoc argumento fertur dicitur *speculative probabile*, in posteriore, *practice probabile*. Ita AA. quidam dicunt speculative probabile esse, mulierem, vi oppressam, posse ob metum mortis non clamare, sed se mere passive habere; practice autem id esse improbable ob summam generis humani in venereas delectationes propensionem. Cfr. Lehm. I. n. 79. Alii tamen hanc divisionem aliter intellegunt.

3° **Ratione modi quo apprehenditur**, in *certam*, *dubiam* et *tenuem*.

Certo probabilis potest esse aliqua opinio vel *extrinsece* vel *intrinsece*: extrinsece, si viget inter optimos auctores, Ecclesia saltem tolerante; intrinsece, si vir doctus eam diligenter examinavit et motivo vere gravi nili reperit.

Dubie probabilis erit si motivum quo nititur aliquatenus nutat, ex. gr. si ratio Doctorum qui eam tenent alicui videatur infirma, si unus alterve eam tradant, ceteris contradicentibus, etc.

Tenuiter probabilis dicitur communiter ea quae levibus tantum rationibus nititur. Haec tamen verba inter se pugnare videntur, cum probabilitas ex ipsa natura sua requirat motivum grave.

4° In *absolutam* et *comparativam*, prout sententia probabilis in se tantum spectatur vel cum sententiis oppositis comparatur. In hac posteriore hypothese distinguere est opinionem *minus probabilem*, *aeque probabilem*, *probabiliozem*, *probabilissimam*. Haec ultima potest esse vel *comparative* vel *absolute probabilissima*. Prior terminus denominat opinionem quae probabilitate excedit omnes opiniones probabiles de eadem quaestione, licet non assequatur summum probabilitatis gradum. Posterior terminus denominat opinionem quae, vi rationum suarum, attingit gradum illum qui, licet nondum excludat omnem errandi formidinem, inter gradus verisimilitudinis maximus censi possit. Attamen notandum in rebus moralibus raro deveniri posse ad omnimodam certitudinem, ideoque practice in idem redire opinionem absolute probabilissimam et moraliter certam.

Proderit etiam notasse magnum vigere discrimen inter alicujus opinionis *probabilitatem* ejusdemque *securitatem*. Sub hoc posteriore

respectu, tutior dicitur opinio quae favet legi ac proinde excludit omne periculum etiam materialiter peccandi; tuta ducitur opinio quae favet libertati, sed excludit prudentem formidinem formaliter peccandi. Liqueat opinionem probabiliozem esse posse minus tutam quam oppositam quae legi faveat; contra, minus probabilem esse posse tutiorem eo quod legi faveat.

5° In probabilitatem *juris* et *facti*. Quae divisio intellegenda est eadem ratione atque ignorantia juris et facti. Cfr. n. 17.

66. Cum summi momenti sit ut opiniones non temere, sed magna prudentia tamquam probabiles habeantur, quaedam hic notasse juvabit quae in hoc iudicio efformando dirigere valeant.

1° De probabilitate intrinseca iudicare possunt tantum ii qui in rebus moralibus sunt versatissimi, non autem mediocriter docti. Hi tamen de probabilitate extrinseca possunt iudicium ferre: nam ad hoc sufficit ut, statu quaestionis rite percepto, hanc opinionem apud scriptores omni exceptione majores assertam reperiant. (Ball. P. n. 121)

2° Multi tradunt hanc regulam: extrinsece probabilem esse illam opinionem cui adhaerent quinque vel sex auctores graves, praesertim usu scholarum probati. (Lehm. I. n. 80) Supponitur tamen, ut per se liquet, eorum auctoritatem non elidi vel documento aliquo positivo, puta decreto Sedis Apostolicae eorum sententiam reprobantis, vel etiam perspecta falsitate motivi cui innituntur, puta alicujus documentum spurium, erroneae doctrinae veterum physicorum, etc.

3° Haberi potest tamquam probabilis opinio propter auctoritatem vel unius doctoris, dummodo is sit omni exceptione major et afferat rationem quam alii non examinaverint vel non satis solverint, ipse autem aliorum rationes commode solvat. (Gury. I. n. 54) Neque obstat damnatio prop. 27^{ae} inter proscriptas ab Alexandro VII: " Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censi probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem. „ Feriuntur enim hac damnatione ii tantum qui stulte contendebant ad probabilitatem sufficere quod nuper prodierit aliqua opinio nec fuerit a S. Sede rejecta. Cfr. Viva in hanc propositionem.

4° Non convenit inter AA. utrum tamquam solide an tamquam tenuiter tantum probabilis habenda sit opinio probabiliter probabilis. Recte distinguit Ball. P. (n. 119): " Si verba *probabiliter probabile* adhibeas ad definitionem mere nominalem et arbitrariam, adeo ut significare velis opinionem, pro cujus probabilitate ratio quaequam gravis ac solida, quae ad prudentem assensum movere possit, nulla militet; esto quod ea non sit vere probabilis. Verum, si verba, uti par est, juxta proprium sensum usurpes, aliter se res habet. Probabiliter enim aliquid affirmare,

idem ex consensu omnium valet, ac aliquid ob gravem solidamque ac prudentem rationem asserere. Ergo si probabiliter quidpiam dicis probabile, spectato proprio verborum sensu, oportet ut ad id affirmandum, prudenti, gravi ac solida ratione ducaris. Abs re ergo... hoc idem negares proprie et solide esse probabile. „

§ 2. VARIA SYSTEMATA DE PROBABILITATE.

67. Supponantur adesse duae sententiae oppositae quarum una legi, altera libertati favet, ex. gr. una obligans ad audiendum Sacrum cum hoc illove impedimento, altera ab eadem obligatione excusans. Quaestio quam solvere intendimus, haec est: quandonam licet, ideoque tutum est, sequi sententiam libertati faventem? E variis responsis ad hanc quaestionem oriuntur varia systemata quibus probabilismus determinatur vel impugnatur. Haec summi momenti sunt, siquidem in re morali creberime occurrunt casus in quibus ita duae sententiae oppositae animum suspensum tenent.

1^{um} RESP. Requiritur ut sententia favens libertati sit *certa*. Ratio est, quod quamdiu intra limites probabilitatis haeremus, versamur in periculo errandi ideoque et peccandi. Hic est **tutorismus absolutus**, damnatus ab Alexandro VIII cum 3^a prop. Sinnichii: „ Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam. „

2^{um} RESP. Requiritur ut eadem sit *probabilissima*. Hoc systema, quod vocatur **tutorismus mitigatus**, vix differt ab absoluto, ad quem logice et manifeste ducit. Nititur enim eodem principio: vitandum esse omne periculum errandi et peccandi, quod semper manet nisi habeatur certitudo. Deinde, in rebus moralibus nullum practice discrimen viget inter opinionem certam et vere probabilissimam.

3^{um} RESP. Requiritur ut eadem sit *probabilior* quam sententia legi favens. Hoc systema, quod **probabiliorismus** audit, tamquam principium habet: „ Tutius est sequendum. „ Fautores ejus praecipui fuerunt plures AA. Ordinis Praedicatorum. ex. gr. Billuart qui probabiliorismum fuisse exponit et tuetur. (Cursus Theol. in 1^{am} 2^{ae} t. I. diss. 6^a de opinionum probabilitate et delectu) Hodie autem inter scriptores vix ullum fautorem habet: quod potissimum tribuendum est iudicio quo S. Sedes doctrinam benigniorem a S. Alphonso propugnatam, tutam declaravit.

4^{um} RESP. Requiritur ut eadem sit *aeque probabilis* ac sententia legi favens. Hoc systema nomen **aequiprobabilismi** gerit. Ut tamen

plene intelligatur, haec insuper addenda sunt. Efficaciam hanc solvendi a lege extendunt equiprobabilistae ad sententiam *fere* aequae probabilem ac sententiam faventem legi, quia „ parum pro nihilo computatur. „ Sed eandem efficaciam restringunt ad casum quo dubia est legis existentia: nam, eorum sententia, cum dubia est cessatio legis, sequenda est opinio legi favens. Haec restrictio profecto ad essentiam systematis non pertinet, sed constanter fit ab hodiernis ejus fautoribus: eam desumunt e primario principio suo: „ Melior est conditio possidentis. „ Extra limites hujusce latae probabilitatis, vincit opinio unice probabilis vel certe probabilior, sive haec opinio legi faveat, sive libertati. Hoc systema propugnant PP. Redemptoristae (Aertnys, Marc, etc.), Ill. Simar Episc. Paderborn. (Lehrbuch der Moraltheol. § 52), etc.

5^{um} RESP. Requiritur tantum ut eadem opinio sit *solide et practice probabilis*, etiamsi opinio favens legi sit probabilior. Hic est **probabilismus purus** quem sequuntur communiter auctores Soc. Jesu et Franciscani, ex. gr. Vander Velden (Principia Theol. Mor.) multique alii, ex. gr. D. Bouquillon (Theolog. Mor. fundamentalis), P. Raphael a S. Josepho (Instit. fundam. Theol.), Ill. Waffelaert (De dubio solvendo in re morali.) Horum principium primum est: „ lex dubia non obligat. „

6^{um} RESP. Requiritur tantum ut eadem opinio sit *tenuiter probabilis*. Hoc systema vocatur **laxismus**. Fatendum tamen est nullum auctorem talem doctrinam theoretice propugnasse: si qui laxistae nomen merentur, id potius ex eo contingit quod crebro, ob tenues rationes, sententias libertati faventes probabiles vocant.

COROLLARIUM. Inter catholicos scriptores tria tantum systemata fautores suos habent, nempe probabiliorismus, equiprobabilismus et probabilismus purus. Ideo, in stabiliendo systemate nostro, duplicis tantum speciei adversarios ante oculos habere debemus. Imo fere unice contra probabilioristas adstruitur generalis demonstratio probabilismi: quippe qui parum ab equiprobabilismo distet, ut postea explicabitur. Omittemus hic, utpote minoris momenti, systemata quaedam parum feliciter a paucis excogitata, ut prorsus diversa ratione solvantur conscientiae dubia.

§ 3. DEMONSTRATIO PROBABILISMI.

68. **THESIS.** Quotiescumque de solo licito vel illicito agitur, licet sequi opinionem vere et practice probabilem, etiamsi opinio opposita legi favens est probabilis vel probabilior.